

fidie preoccupatus Pompeium Romanum imperatorem in palatio suo decapitari fecit¹, ignotum tanti facinoris. Iterum nuncios suos per castra et civitates, in quibus Romanorum principes sedem eorum posuerant², [misit³], ipsos similiter gravissimis penis et tormentis interficere iussit. Caput siquidem Pompeii et virorum nobilium capita per legatos suos Iulio Cesari direxit¹. Audiens namque Iulius Cesar que Tholomeus omnium nefandissimus de Pompeio et viris nobilibus urbis Rome fecerat, dolens, gemens et flens, ira et dolore, ingenti quoque tristitia plurimum est turbatus, omnes unanimiter dicentes necem Pompeii et nobilium virorum esse vindicatu-ros. Audiens hec Iulius Cesar, stans in sublimi loco, flebili voce et lacrimando sic dixit et votum diis suis faciens, Romanam urbem nullo modo esse visuram⁴, nisi primo necem Pompeii socii sui et virorum prudentium esset vindicaturus. Et versus Tholomeum pergere properans, denuntiando per legatos Tholomei, quibus vitam tamquam nuntiis prebuit, de tam nefando et iniquo scelere regni Ydorum desolationem esse visurum et mortem esse subituum. Cognoscens autem Ydorum rex regni sui destructionem, ira et dolore commotus universam gentem suam undique colectam congregavit et obviam Iulio Cesari in introitu terre sue se prebuit. Iulius namque Cesar cupiens bello necem Pompeii quam alio modo vindicare, gavisus est gaudio magno valde, versus inimicos cum exercitu suo pergere festinavit.

Cumque Iulius Cesar ad inimicorum castra appropinquasset, motis signis et belli instrumentis sonantibus prelium magnum et iniquum incipitur, pugnatur inique ab utroque exercitu. Multi ab utraque parte sunt vulnerati et ex³ Ydorum gente innumerabiles sunt interempti et semivivi in campo relictii. Rex autem Ydorum et alii viri nobiles Ydorum provincie circa undecim milia sunt capti et retenti. Alii omnes fugati et in castris et locis exclusi. Quo facto, ingenti gloria et triumpho ad tentoria redeunt, regem et viros nobiles totius regni sui captos et in vinculis retentos ante suam fecit venire presentiam. Tholomeum quoque Ydorum regem capitali pena, qua Pompeium interfecerat⁵, puniri precepit, ut propositum et dictum suum firmiter observaretur. Iterum quod⁶ Romanorum viros nobiles decapitari iussit, tot Ydorum viros nobiles decapitari iussit, et fuerunt tria milia LV virorum nobilium. Stetit namque Iulius Cesar cum exercitu suo in regno Tholomei per duos annos, castra quidem, loca et civitates, universum regnum Ydorum penitus subiugavit et sub iugo Romani imperii posuit.

*f. 31a. Viri *autem prudentes exercitus sui in Ydorum regno dimisit, quos dominos et rectores totius regni Ydorum constituit. Cor-

1) Cf. Pauli Hist. Rom. VI, 21. 22. 2) 'proposuerat' Hs. 3) Fehlt Hs.
4) So Hs. Vgl. S. 340, N. 5. 5) 'interferat' Hs. 6) Das ist = 'quot'.